



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CCXCIX. Albert's Bischof's zu Halberstadt, Confirmation des von Johann von Einbeck, Domherrn zu Magdeburg und Probst zu Salzwedel, in der Pfarrkirche zu Wolmirstädt fundirten Altares S. Georgii, vom ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

CCXCIX. Albert's, Bischofs zu Halberstadt, Confirmation des von Johann von Einbeck, Domherrn zu Magdeburg und Probst zu Salzwedel, in der Pfarrkirche zu Wolmerstede fundirten Altars S. Georgii, vom 30. November 1418.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis amen. Albertus, dei et apostolice sedis gratia Episcopus halberstadenfis — ad vniuersorum christi fidelium notitiam cupimus deuenire, Quod venerabilis Johannes de Eynbeke, Canonicus ecclesie Magdeburgensis et prepositus in Soltwedel, verdenfis dyocesis, pie recolens, quod hic non habemus manentem Ciuitatem, spem ponens in eum, qui stabilem dat in celis mansionem, ac pie deuotionis affectu anime sue saluti feruenter intendens, Quoddam altare in ecclesia parrochiali in Wolmerstede, nostre dyocesis ad honorem sancti Georgii martiris sanctarum dorothee et Marie Magdalene ac sanctorum trium regum de bonis pie memorie Ottonis de Irkfleue et per eundem derelictis ac etiam propriis eiusdem dom. Johannis de Eynbeke a deo sibi collatis bonis de nouo fundauit et dotauit. Ad cuius quidem altaris dotationem pro sustentatione clerici cum eodem altari beneficiandi idem dominus Johannes, Rectori pro tempore eiusdem Septem Marcas cum dimidia Magdeburgensis warandie apud Consules in Calue, dicte Magdeburgensis dyocesis, de precaria autumpna Reuerendissimi in christo patris domini Archiepiscopi Magdeburgensis pro Centum Marcis eiusdem warandie sub titulo reemptionis ab eodem Archiepiscopo per dictum dominum Johannem emptas, prout in litteris eiusdem domini Archiepiscopi plenius continetur, larga donatione assignauit et deputauit, Sic tamen quod idem Rector de predictis septem cum dimidia Marcis per eum leuandis Tria talenta predictae Warandie in tribus anniuersariis mortuorum videlicet Ottonis de Irkfleue vnum talentum, que peragetur sequenti die assumptionis beate Marie in vigiliis et deinde in missis, ut est moris, et Sophie, vxoris dicti Ottonis, que peragetur in octaua natiuitatis marie cum vigiliis et missis, ut est moris, similiter vnum talentum, Et in anniuersario weneri de Eynbeke, eiusdem domini Johannis genitoris, que peragetur ipso die sancti Galli cum vigiliis et deinde cum missa, ut est moris, similiter vnum talentum, inter sanctimoniales in Wolmerstede iuxta et secundum ordinationem eiusdem domini Johannis de Eynbeke faciendam distribuendum in singulis anniuersariis predictorum indilate et absque impedimento et contradictione porrigat, residuum huiusmodi Septem Marcarum cum dimidia suis vrbibus applicando et retinendo. Volumus insuper, prout etiam idem dominus Johannes voluit, quod cum ipse viam vniuersae carnis ingressus fuerit, anniuersarium eiusdem Weneri inmutetur et pro illo anniuersario eiusdem Johannis et progenitorum suorum in anniuersario die obitus dicti Johannis peragatur et in hoc predictum talentum, quod in anniuersario eiusdem Weneri ministrari solebat per Rectorem predictum, ut presertur, ministretur, Quodque idem pro tempore Rector in omni septimana Quinque missas, super quo ipsius oneramus conscientiam, videlicet vnam de corpore christi, vnam de sancta Cruce, vnam de domina nostra, vnam de patronis et pro fundatore et fidelibus defunctis et Quintam, quam ex deuotione dicere voluerit, per se uel alium ydoneum presbiterum hora competenti impedimento cessante legitimo celebrare, Et in festis patronorum missam decantare teneatur. Nos etiam predicto domino Johanni de Eynbeke et Wenero eius fratri germano et eorum heredibus iuspatronatus seu iuspresentandi dicti altaris de nostro et Capituli nostri ac Archidiaconi dicti loci Wolmerstede, Necnon prepositi in Wolmerstede, qui curam parrochie gerit ibidem, consensu et voluntate, necnon institutionem de dicto altari eidem Archidiacono referuamus. Ipsis vero Johanne et Wenero, ac

eorum heredibus deficientibus seu minime superstitibus, Juspatronatus huiusmodi ad Aduocatum pro tempore venerabilium dominorum decani et Capituli dicte ecclesie Magdeburgensis pertinebit. Sic tamen, quod personam ydoneam ad idem Altare ad nutum et voluntatem seu ad nominationem eorundem dominorum Archidiacono predicto presentare teneatur et presentet dictusque Rector eundem prepositum in Wolmerstede, In choro et processionibus cum et quando opus fuerit rogatus in diuinis officiis adiuuabit, sic tamen, quod missae per dictum Rectorem dicende nullatenus impediantur et negligantur ac votiuas et alias elemosinas sibi datas sibi licite retinebit, de offerendis vero in altari celebrationis tempore missarum Rectori presentabit. Quod si forte huiusmodi Septem Marce cum dimidia per Archiepiscopum pro tempore Magdeburgensem redimerentur pro Centum marcis huiusmodi, ut fieri potest, ut presertur; extunc Rector dicti altaris de adiutorio et consilio eorundem dominorum decani et Capituli dicte ecclesie Magdeburg. ac Johannis de Eynbeke et heredum eius predictorum, si superstitierint, et ipsi cum eodem Rectore pro eisdem Centum marcibus alios dictos perpetuos redditos si haberi poterint aut sub reemptione licita, prout melius fieri poterit, emanant ad vicariam predictam et Rectorem pro tempore perpetue permanuros. Que omnia et singula videlicet fundationem, dotationem, donationem, dispositionem et ordinationem aliaque, prout supra mentionata sunt, ad deuotas eiusdem domini Johannis preces gratas et grata ac ratas et rata habentes, auctoritate ordinaria tenore presentium in dei nomine auctorifimus, approbamus et confirmamus, Ipsasque et Ipsa sub anathemate et interminatione maledictionis eterne mandamus et volumus inuolabiliter obseruari, decernentes predictum altare beneficium ecclesiasticum debere censeret et bona seu predicta et predictos ad ipsum pertinentia et pertinentes tam presentia et presentes, quam futura et futuros, ecclesiastica et ecclesiasticos fore, Necnon inuales et destructores eorundem tamquam sacrilegos esse puniendos. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre auctorifationis, approbationis et confirmationis infringere uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et nostram se nouerit incursum. In quorum omnium et singulorum fidem presentes litteras fieri et sigilli nostri maioris iussimus sub appensione communiri. Datum in Castro nostro Groningen, nostre halberstadtensis dyocesis, Sub anno Millesimo Quadringentesimo decimo octauo, Indictione vndecima, in die sancti Andree apostoli.

Nach dem Originale des Königl. Provinzial-Archives zu Magdeburg.

CCC. Bernd und Werner von der Schulenburg genehmigen, daß ihr Vetter Heinrich von der Schulenburg die Rathsherrn Salzwedel's zu Testamentarien in Bezug auf sein Allodial-Vermögen einsetze, am 12. März 1419.

Wy Bernd vnde Werner, brodere, geheyten van der Schulenburg, vnde vnse eruen Bekennen myd orkunde desses breues vor alsweme, dat id vnse gude wille is, dat hinrik van der Schulenburg, vnse vedder, hat heft vnde settet by synem leuende vnde myd volmacht In vnser Jegenwardicheit sunder vnse wedersprake de Erwerdigen Borgermestere vnde Radmanne to Soltwedel der olden Stad to testamentern, to schickern vnde to vorwefern synes ey-